



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia XXI. Marthæ querela.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Da veniam; fateor, non sunt mea munera tanti,  
 Vt Domino iniungant grande laboris onus.  
 Tu tamen vna salus, & publica cura dolorum,  
 Hospitibus renues ferre salutis opem?  
 Frater, vti cernis, vastâ sub mole sepulcri  
 Occubat, inuiso nomen inane solo.  
 Quem populatur edax olidâ lue mortis alumnus,  
 Et putris, heu! terrâ peste venenat amor.  
 Tempora si numerem (numerat dolor omnibus  
 horis)

Tertia iam lacrymis sæcula iëre meis.  
 Manè dies surgit nitido rediuuius Eoo,  
 Quem nigra nocturnis vespera mergit aquis:  
 Etiam quarta mei luctus deuoluitur ætas;  
 Nec tamen vlla redux omina firmat Amor.  
 Luna nouo complet cornu reparabile torno,  
 Menstrua quod rapidis deterit hora rotis.  
 Ostrifero comit ter nuda roseta galero,  
 Quæ spoliat pictis inuida bruma comis.  
 Et quæ non viridi caput exserit herba teatro,  
 Improba quam cæco carcere clausit humus?  
 Terra suos, simul æthra suos instaurat honores:  
 Emicat hæc astris, stirpibus illa viret:  
 Quin ergo mea vita, iubes (miserere precantis)  
 Currat in exsanguis viuuda vena sinus.

## ELEGIA XXI.

MARTHÆ querela.

L AZARE mi frater, mœstæ ò te siste forori!  
 Ah! in fraterno puluere, quæro nihil.  
 Iam nihil ille decor vultus, flos, gratia formæ;  
 Quæ-

Quæque Charis suado sessitat ore, nihil.  
 Et nuper tam grande decus Bethanidos aulae,  
 Vix leue nunc digitis in tribus hæret onus.  
 Ergone fraternas, cheu! pro fratre fauillas  
 Admittet viduo nunc soror orba sinu?  
 Nomen autem tam grande, tot & spes tanta nepotum,  
 Nunc breue nescio quid, curta quod vrna capit?  
 Vouerat innumeros longæuis solibus annos  
 Palma virens æui, quam tulit atra dies.  
 Non illum patrius torquis, non census honoris  
 Censor, & antiquis cera tuetur auis:  
 Non illum teneræ lanugo Cydonia malæ,  
 Non illum hospitio tessera pacta fidem;  
 Non pietas, non æquus Amor, non cura sororum,  
 Non domus hæc toties hospite digna Deo.  
 Mors nimis, ah! durum genus, & vis nescia flecti;  
 Quam nec opes, nec tot gloria flexit opum;  
 Dulcia concordēs voluebant pensâ sorores,  
 Et potis es plenâ scindere fila colu?  
 Nemo sed infestæ vitarit arundinis iras;  
 Occupat illa viros, occupat illa senes.  
 Mors numquã exhaustâ desequit inerma pharetrâ:  
 In noua quod promat vulnera, semper erit.  
 Cur non ergo pari sors vulnerat arte sororem,  
 Et soror in fratris funere funus obit?  
 Scilicet infaustæ quò parcat amica sorori,  
 Mors fratrem innocuum plectit acerba caput.  
 Vltio maiores sic blanda resæuit in iras;  
 Quæ mala dum minuit, auget iniqua scelus.  
 Mors oculos, fratres geminos, non diuidit impari:  
 Si perit hic, alter par necis vmbra perit:

Et

Et mea lux vitæ superâ iam pascitur aurâ,  
 Cui nece fraternâ pars bona lucis abest?  
 Et fratrem rapit, ah! oculis qui carior istis,  
 Aut oculis si quid carius esse potest?  
 Quis saltem dabit his aduoluar vt ægra fauillis,  
 Et bibat, heu! lacrymas quas sitit vna meas?  
 Vt concors inscribat Amor rorante sepulcro:  
 Si cinis est frater, tota fit vnda soror.

## ELEGIA XXII.

*Præsentia CHRISTI spem facit susci-*  
*tandi LAZARI.*

**B**ETHANIA, memini, par nobile nuper in aulâ  
 Aurea sæcla tulit, frater & æqua soror.  
 Fortunata domus, socio si currere fuso  
 Stamina adhuc plenâ sors finat alba colu.  
 Sed benè concordi currentia sæcula filo  
 Præscidit haud æquâ Parca nouerca manu.  
 Mors damnat virides primæ lanuginis annos  
 Perpetuis tenebris, puluereâque domo.  
 Ah modò dulce decus, nunc illætabile nomen  
 Raptus abit frater; raptaque & ipsa soror.  
 Quid tibi nunc animi, cui sors tulit inuida fra-  
 trem,  
 Et cum fratre tuo mors decus omne tulit?  
 In lacrymas abeunt præcordia saucia luctu,  
 Turbidaque vndoso pectore vota tument.  
 Quis tantos tumido depellet pectore fluctus?  
 Vlcera quis molli leniet aspra manu?  
 Anxia quis mæsto deterget nubila vultu,  
 Quasque bibit salso lumine mæror aquas?

Antè